

teritne tuta conscientia a Papa petere Breve sæcularisationis, atque ad parcendum sumptibus melius tractandi negotii sui causa Romam petere *incognito*?

ꝑ. Secunda ipsius professio æque, ac prima, nulla est, nec quantum ad forum internum tenetur perseverare in religione. Cum tamen plusquam annos duodecim transegerit in Ordine, quin unquam contra vota sua reclamaverit, difficile admodum erit in foro externo probare nullitatem suæ professionis, & obtinere Breve sæcularisationis. Aliud ergo vix superesse ipsi videtur remedium, quam ut sollicitet Breve, vi cuius ipsi concedatur transire *ad laxiorem ordinem*, quod facile impetrabit, si forte invenerit *benevolam receptorem*. *Fromageau.*

CASUS XXII. 1. Estne valida professio religiosa, quando nulla præcessit informatio de moribus? 2. Religiosus, qui occultavit notabilem defectum, super quo expresse fuit interrogatus, potestne dimitti, quando hujusmodi defectus primum post professionem innotuit? 3. Professio peccatoris (publici) vel ejus, qui est infamis infamia juris aut facti, estne invalida, vel saltem illicita?

ꝑ. *Ad 1.* Juxta Bullam Sixti V. de anno 1588. ille, de cujus vita & moribus nulla præcessit informatio, est inhabilis ad professionem. Attamen Clemens VIII. in Bulla 83. de anno 1602. constitutionem Sixti V. moderatus est, eamque quoad nullitatem professionis juri communi adaptavit. *Ad 2.* Si quis defectum valde notabilem, ac respectu Ordinis & constitutionum loci essentialem ante professionem celavit, professio nulla est, taliterque professus dimitti potest. *Ad 3.* Professio peccatoris publici ac notorii de jure communi illicita quidem est, sed non invalida; licet vi statutorum Ordinis aut loci invalida esse possit. Quod attinet infames infamia tum juris tum facti, non sunt quidem inhabiles ad religiosam professionem; illicitè tamen ad eam admittuntur. *Fromageau.*

CASUS XXIII. Liborius adolescens durissime habitus a suis parentibus, qui volebant ipsum cogere ad ingressum religionis, actu emisit professionem declinandæ iniquæ hujusmodi tractationis gratia, quæ mox ab emissâ professione cessavit. Teneturne hac sua professione? An non habet sufficientem causam impugnandi vota sua?

ꝑ. Professio hujus adolescentis est nulla; cumque sat manifeste possit probare violentias sibi a parentibus illatas, haud difficulter impetrabit, ut nulla declarentur ipsius vota. *Fromageau.*

CASUS XXIV. Cassander juvenis emissa in Ordine S. Benedicti professione in sæculum redire constituit ex his rationibus: quod timuerit iram patris importunissime urgentis, ut religiosum Ordinem ingrederetur, secus nulla amplius ab eodem subsidia recepturus ad continuanda studia, & unice religionem intraverit ad ineundam patris gratiam: quod durante novitiata edoctus non fuerit obligationes & officia vitæ regularis: quod ante professionem sæpius abeundi consilium mente agitaverit, certissime abiturus, si alicubi asylum parvisset, nec timendum sibi fuisset odium patris absque ulla spe veniæ incurrendum: & tandem quod anno secundo cum dimidio a sua professione actu reclamaverit contra vota sua. Quid consilii, ut Religiosus iste absolutionem a votis suis obtineat?

ꝑ. Professio Cassandri non potest declarari irrita, nisi ipsi suppetant probationes convincentes de intentata comminatione patris, & quidem tam gravi, ut necessariam ad amplectendum hunc statum libertatem ipsi ademerit. Si id probandi argumenta sat fortia in promptu esse existimet, supplicandum est pro rescripto Pontificio, monito prius Ordinario, quod ad Papam recurrendi consilium ceperit. *Fromageau.*

NOTA. Videtur cum pluribus Theologis sentiendum, vota etiam solemnia dubii valoris non esse reservata Papæ, sed Episcopo, a quo proin discuti & judicari possunt.

CASUS XXV. Cimelius novitius fecit professionem adjecta quadam conditione. Estne valida?

ꝑ. Pro foro interno est nulla. Verum in foro externo habetur pro absoluta; licet actus professi testentur de contrario. *Fromageau.*

Vide *Abbatissa* cal. 9. *Dispensatio in votis in genere. Dispensatio in votis Religiosorum. Monialis. Religiosus. Transactio. Votum.*

## PROMISSIO.

1. Sub nomine *Promissio* charta vel syngrapha privata, propriæ tamen manus chirographo signata venit, qua quis se obligat ad solvendam summam mutuo acceptam, vel ex alio titulo debitam; ad denotandam differentiam ab alia obligatione ejusdem tenoris, quæ tamen a Notario confecta in favorem creditoris obtinet vim hypothecæ in bonis debitoris. In sensu autem, quo in præsentî articulo sumitur promissio est *deliberata & spontanea fidei obligatio de re possibili grataque promissa.*

*missario*, qua nempe quis se adstringit ad aliquid alicui dandum, faciendum aut prætermittendum, quod est in potestate promittentis.

2. Dicitur, *deliberata & spontanea*; quia procul abesse debet omnis violentia, error, dolus aut metus, promissioque fieri debet cum perfecta cognitione eorum, quæ naturam atque substantiam obligationis attinent. Additur, *de re possibili*, id est, de re, quæ non solum ex natura sua possibilis est, sed etiam absque peccato fieri potest. Dicitur denique, *grata promissario*, ut excludatur omne promissum mali cuiquam inferendi, seu comminatio.

3. Promissio fieri potest Deo æque ac hominibus; quæ fit Deo, dicitur *votum* aut *sponsio voti*, quæ autem fit hominibus, simpliciter vocatur *promissum*, *promissio* aut *pollicitatio*.

4. Promissio vel est pura & simplex, vel conditionata, vel denique juramento firmata.

5. Ratio non solum conscientiæ, sed & honoris quemque obligat ad servandum promissum quantumcunque simplex, saltem nisi notabilis mutatio interveniat; si enim v. g. cuiquam promissum largitionem centum florenorum, is autem interea fieret inimicus aut persecutor meus, non tenerer exequi promissum: aut si facta cuidam promissione centum florenorum res meæ adeo dilaberentur, ut sine notabili damno proprio non possim promissum adimplere, cessat obligatio. Extra hos aut similes casus obligatio promissionis adeo certa est, ut etiam pagani eam agnoverint. *Quod affirmas*, inquit Cicero de Offic. *quasi Deo teste promiseris, id tenendum est*. Hinc est, quod viro honesto nil fere probrosius objici possit, quam quod fidem promissi sui fefellerit. Nihilominus ultra recensitos dantur adhuc alii casus, in quibus nec debet nec potest adimpleri promissum, ut ex sequentibus responsionibus patebit.

CASUS I. Cyrillus adhuc minorennis promissit matrimonium Eudoxiæ, a qua promissum recepit reciprocum. Cum autem nuptiam sibi in eam indulisset licentiam, cœpit illam fastidire; eo quod & aliis amatoribus adeo facilem eam fore autumaret. Poteritne hæc sola ratio ipsum excusare a servando promisso, licet puella oblatum pinguius matrimonium recusaverit, sola spe freta, potituram se nuptiis Cyrilli?

R. Si consentiant parentes Cyrilli in nuptias cum Eudoxia, tenetur in conscientia stare promisso, non obstante usu corporis sibi ab eadem tam facile permissio. Si autem parentes consensum suum denegent, non potest absque peccato eam ducere. Ratio est; quia Ecclesia semper detestata est matrimonia a filiisfamilias inita sine consensu patrum, matrum,

tuto.

tutorum & curatorum, ut loquitur Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. matrim. c. 1. Et parentes ipsi suasionem quidem adduci possunt ad præstandum consensum in matrimonium Cyrilli, si graves rationes non habeant se se opponendi; cogi autem in rigore nunquam possunt. In Gallia pœna exheredationis lata est in liberos invitis parentibus matrimonium contrahentes. *Pontas.*

CASUS II. Gasto Leonidi, cui ex pluribus titulis erat obstrictus, luculenta daturus grati animi argumenta, serio promissit quingentos florenos, ut primum receperisset 1000 florenos a quodam tertio sibi debitos. Gratum & ratum habuit promissum hoc Leonides. At vero Gasto persolutis sibi post unius mensis lapsum mille florenis volebat Leonidi dare plus quam partem dimidiam promissæ summæ. Teneturne in conscientia ad solutionem totius summæ promissæ?

R. Si Gasto non habet justam ac urgentem causam ab adimplente totius promissi excusantem, tenetur Leonidi solvere integram summam. *Si autem licitum est & possibile, quod promittit*, inquit S. Antoninus Summ. 2. part. tit. 10. c. 1. §. 4. *non servando, cum potest, utique peccat; quia omne promissum debitum jure naturali servandum est*. Difficile tamen est determinare qualitatem peccati ab eo commissi, qui promissum fallit, quibusdam mortale peccatum, aliis veniale duntaxat esse asserentibus. Videtur autem, non posse hac in re solidum ferri iudicium, nisi prius mature examinentur gravia vel levia damna & præjudicia, quæ exinde resultare possunt. *Pontas.*

NOTA. Cum primum obligans sit ipse gratuitus promissor, ab ejus intentione dependet modus obligationis. In dubio præsumitur intentio se leviter obligandi, ubi violatio promissi non potest causare gravem contristationem vel damnificationem.

CASUS III. Damasus Juliano promissit rem de se justam, possibilem ac rationabilem; sed mox a facto promisso supervenit notabilis mutatio. Teneturne hoc non obstante stare promisso?

R. Regulariter loquendo datur obligatio exequendi promissum, si executio est possibilis & licita. Nihilominus tamen cerum est, quod Damasus non teneatur facto promisso, quando mutatio superveniens est tanta, ut possit ipsum excusare a contracta obligatione; v. g. si non possit exequi promissum sine præjudicio proximi, aut sine notabili detrimento proprio, aut absque violatione justæ prohibitionis sibi a

L 5

Sup-

Superiore ecclesiastico vel sæculari factæ. Sic docet D. Thomas in Ep. ad Rom. 15. Lect. 3. *Pontas.*

Nota. Ea rei mutatio excusat ab obligatione adimplendi promissum, de qua si fuisset cogitatum & tractatum, verosimiliter promissio non esset facta.

CASUS IV. Alipius Petro promisit quinquaginta dupliones aureos, sed ex mera officiosa urbanitate, & absque omni intentione adimplendi promissum. An in conscientia tenetur illud exequi?

ꝑ. Juxta D. Thomam 2. 2. q. 110. art. 3. ad 5. nullum promissum importat veram obligationem, si desit consensus promittentis. Unde sequitur, quod, quamvis Alipius peccaverit contra sinceritatem & bonam fidem promittendo absque animo promissum adimplendi, non tamen obligetur vi hujus promissionis ad tradendos Petro quinquaginta dupliones. *Si autem est licitum*, ait S. Antoninus Summ. 2. part. tit. 10. c. 1. §. 4. *Et possibile, quod promittit, sed servare non intendit, utique peccat; quia mendacium dicit.* Si tamen Alipius facta promissione intendisset decipere Petrum, eique per hoc damnum intulisset, ad hujus reparationem dubio procul teneretur. *Pontas.*

CASUS V. Julianus per silvam iter faciens incidit in latronem, qui præsentem ipsi mortem minatur. Ad evitandum periculum Julianus promittit ipsi viginti dupliones intra viginti quatuor horas sub arbore a latrone indicata deponendos, attamen cum expressa intentione pro summæ hujus restitutione apud judicem agendi. Tenetur Julianus stare suo promisso? Num promittendo commisit mendacium?

ꝑ. Non tenetur juxta S. Thomam 2. 2. q. 89. art. 7. ad 2. exequi promissum ex metu adeo gravi latroni factum. Nec etiam mendacii condemnari potest: vere enim & ex animo voluit dare pecunias evitandæ mortis causa, quam latro minabatur, ut idem S. Thomas docet in 4. dist. 29. q. un. art. 3. ad 4. *Pontas.*

CASUS VI. Anatolius celebris nummularius in summo discrimine constitutus omnia sua bona amittendi, nisi fixo die habeat 5000. florenos, convenit Manilium amicum suum notorium usurarium, eumque rogat, ut ad sex menses commodaret sibi hanc summam. Nolente autem id obsequii gratis præstare Manilio, Anatolius oretenus ipsi promittit centum florenorum pro centum; eoquod timeret jacturam honorum, fidei apud socios, & famæ, ni exhibere possit hanc summam. Tenetur Anatolius in conscientia solvere has usuras?

ꝑ. Di-

ꝑ. Distinguitur duplex metus, *juste nempe & injuste incussus.* Promissio facta ex metu justo, utcumque gravi, modo non fuerit tantus, ut penitus sustulerit deliberationem voluntatis, parit obligationem: nam, cum motivum metus supponatur esse justum, datur obligatio promittendi, & consequenter servandi promissum; vel saltem illud opere exequendi, quia factum est voluntarie ac ex justis rationibus. Argumentum simul & exemplum ministrat lex *Si mulier. 21. ff. Lib. 4. Tit. 2. Si mulier contra patronum suum ingrata facta, sciens se esse ingratham, cum de suo statu periclitabatur, aliquid patrono dederit, vel promiserit, ne in servitutem redigatur, cessat editum* (scilicet quod possit repetere, quod solvit) *quia hunc sibi metum ipsa infert.* Si vero motiva metus injusta sunt, ut in præsentis casu, cessat omnis obligatio. *Ille, qui vim intulit*, ait S. Thomas 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. *hoc merebitur, ut ei promissum non servetur.* *Pontas.*

CASUS VII. Scævola promisit Thomæ decem dupliones aureos ea conditione, ut occidat, vel saltem graviter percutiat ac contumeliis oneret inimicum suum. Pactam conditionem explevit Thomas. Tenetur Scævola in conscientia Petro solvere promissam summam?

ꝑ. Neque pro foro interno, nec pro externo ad id tenetur: omnis enim promissio ac conventio, quæ mediante summa pecuniaria vel alia remuneratione tendit ad committendum aliquod crimen, estque prohibita legibus divinis vel humanis, nullam omnino nec ante nec post producit obligationem: *Quæ contra jus sunt, debent utique pro infectis haberi*, ait regula juris 64. in 6. Et hinc Scævola ad nihil aliud tenetur, nisi ad sinceram pœnitentiam. Doctrina hæc fundatur in pluribus decretalibus, & leges civiles quoque hac in re omnino sunt conformes constitutionibus canonicis. Omnes hæc leges fundantur in jure naturali, quod nunquam sufferre potest, ut actio mala digna censeatur recompensatione. *Pontas.*

Nota. Hæc responsio ejusque ratio confirmat sententiam, quod contractus iniiti sub conditione turpi sint jure naturæ invalidi.

CASUS VIII. Jordanus prostitutæ pudicitie mulieri promisit sex aureos tanquam pretium perpetrandi peccati. Tenetur suo promisso?

ꝑ. Tantum abest, ut teneatur servare promissum, ut etiam peccaverit promittendo, maxime si facta fuit promissio animo diutius cum ea continuandi carnale commercium. Nonnum peccatum committeret ex eo sine promissam pro flagitio mercedem persolvendo. *Augustinus dicit supra Joannem*, ait Doctor angelicus 2. 2. q. 108. art. 3. ad 3. *quod donare res suas*

*suas histrionibus vitium est immane; nisi forte aliquis histrio esset in extrema necessitate, in qua esset ei subveniendum. Pontas.*

CASUS IX. Euprepia matrona famulæ suæ cubiculariæ donum nuptiale promittit centum florenorum, & insuper augmentum salarii viginti florenorum. Teneturne coram Deo implere promissum, licet tantum verbaliter factum?

ꝑ. Tenetur, si per ipsius facultates id licet, simulque promissio a cubulariâ fuit acceptata. *Fromageau.*

CASUS X. Pollio famulus cujusdam villici, credens filiam heri sui esse virginem, cum ea fornicatur, addita ad facilius impetrandam usum corporis promissione matrimonii. Verum advertens, puellam jam ab allo fuisse corruptam, sententiam suam quoad matrimonium cum ipsa contrahendum mutavit, caute tamen hoc animi sui consilium eidem occultans; immo constantiam suam in amore, quo ipsam deperibat, sæpius in faciem declarat, consuetisque visitationibus probat. Teneturne vi promissi eam ducere?

ꝑ. Tenetur ducere puellam: nam posito etiam, quod Pollio salva conscientia potuerit mutare mentem suam, postquam cognovit vitium puellæ, quod tamen negant Lugo & Giribaldus; certissimum tamen est, quod non amplius resilire possit, dum cognita prostitutione scœminæ nihilominus continuavit cum ipsa flagitiosam consuetudinem dissimulata retractatione promissi matrimonii. Ratio est; quia, cum bene sciret, puellam non consensisse in copulam nisi ob promissionem matrimonii sibi factam, sub eadem conditione saltem tacite censetur etiam deinceps petiisse & acceptasse consensum juvenulæ in opus carnale, sicque ratificasse veterem suam obligationem per novum contractum onerosum, qui utramque partem obligat. C. B.

NOTA. Confer responsionem ad hunc & sequentem casum cum responsionibus ad casus 7. & 8. & videbis, quantum distent principia compilatoris casuum Bononiensium circa doctrinam moralem de contractibus turpibus a principis Pontasii, scilicet velut æra lupinis: hic aurem præbuit Deo & naturæ intus loquenti, ille autem probabilistis, qui ab omni vento doctrinæ quoquo versum abripiuntur.

CASUS XI. Albertus centum Imperiales promittit fisco, si Petrum occiderit. Teneturne Albertus secuto effectu adimplere promissum?

ꝑ. Sunt quidem, qui negant eum teneri; eoquod ex actione injusta, ut est homicidium, non possit oriri obligatio justitiæ. Alii tamen, nominatim D. Thomas, Lessius, Lugo, Diana & Tamburinus communius affirmant, Albertum teneri ad explendam promissionem. Rationem sententiæ

suæ hanc afferunt; quia pecuniæ non fuerunt promissæ tanquam pretium peccati, sed intuitu periculi, cui se sicarius commissurus erat perpetrando homicidium. Cum ergo hic, exponendo se tanto periculo, acquisiverit jus exigendi hanc summam, Albertus ex eadem ratione contraxit obligationem eandem solvendi. C. B.

NOTA. Foetida hæc responsio eandem Probabilissimi cœtam olet, quæ responsionem ad casum præcedentem exhalavit.

## PROMOTOR.

1. *Promotor* dicitur Officialis ecclesiæ, qui in rebus concernentibus jurisdictionem ecclesiasticam easdem exercet functiones, quas Procurator Principis in forensi Curia, ut est petere informationem aut comprehensionem Clericorum gravis delicti reorum, urgere expeditionem causarum ad Officiale delatarum, invigilare juribus, libertatibus, ac immunitatibus ecclesiæ, tueri vigorem ac robur disciplinæ ecclesiasticæ &c.

2. Cum per sacros Canones non liceat laicis accusare Clericos, nisi in certis quibusdam casibus, ad Promotoris officium non potest assumi nisi persona ecclesiastica: cujus enim est persequi Clericos delinquentes coram judicio episcopali, & ipsum Clericum esse convenit.

3. Ex sequentibus decisionibus plura elucescent, quæ Promotores concernunt, quibusque insistendum ipsis in administratione officii sui.

NOTA. Hoc nomen *Promotor* in Gallia potissimum, Hispania ac Italia in usu est: illius tamen officium etiam in ecclesiis cathedralibus Germaniæ obtinet, ubi, qui eo fungitur, *Fiscalis* dicitur.

CASUS I. Sextius Promotor cujusdam Curie episcopalis, simulque parochus inquisitionem habuit ex officio contra Gualterium clericum sandalosæ vitæ infamia notatum, & propterea accusatum; vocatisque ac citatis duobus vel tribus parochianis accusati amicis, præfens ipsemet interfuit informationi & interrogationibus accusati Clerici, imo etiam testium cum reo confrontationi, eo fine, ne se præfente testes variarent in depositione, vel celarent veritatem factorum, de quibus antea testimonium dixerant. Potuitne hoc facere absque peccato contra justitiam?

ꝑ. Non potuit præfens interesse interrogationi, testificationum collationi seu prælectioni, vel confrontationi, aut informationi testium contra accusatum: processus enim criminalis debet esse secretus, & Promotor est pars publica, e-

jusque functio est incompatibilis cum officio Judicis. Qualiterius igitur contra hanc formam judicialem potest excipere, ac petere declarationem nullitatis. *Pontas.*

CASUS II. Romilius Promotor diocesis Albenfis accepit resignationem Pœnitentiariæ ecclesiæ hujus cathedralis in suum favorem factam. Potestne licite exercere simul functiones hujus Beneficii, & munus Promotoris?

ꝛ. Pœnitentiarii & Promotoris officia non possunt exerceri ab una eademque persona. Pœnitentiarius vi officii tenetur absolvere reum de commissis peccatis serio dolentem, Promotor econtra ex obligatione justitiæ debet agere ad ejus punitionem. Juri naturæ & gentium, imo etiam disciplinæ ecclesiasticæ repugnat, eundem esse accusatorem, assessorem in tribunali, & judicem. Hinc Romilius alterutrum horum officiorum eligat necesse est, & alterum dimittat. *Pontas.*

CASUS III. Ruffinus Promotor ejusdam diocesis evidenter scit, Alexium presbyterum reum esse criminis, attentum occulti. Teneturne in conscientia petere ab Officiali licentiam inquirendi in hoc crimen vel personam criminosi?

ꝛ. Non solum non tenetur informationem instituere contra Alexium, sed ne quidem potest: notandum enim est, quod in Gallia maxime & Hispania, dum agitur de crimine occulto, Promotor in judicium provocans Clericum exhibere debeat denunciatores, qui in casu, quo id opus fuerit, cavere possit de damno & interesse accusati. Ad hæc, si accusatus per sententiam absolutus & declaratus innocens, scire petat denunciatores a Promotore, hic eum manifestare tenetur, nisi ipse præstare velit omnes litis impensas. *Pontas.*

CASUS IV. Rhotodus ecclesiæ cathedralis Canonicus & Promotor præten dit, habendum se esse ut præsentem in choro, adeoque lucrari posse distributiones quotidianas absque onere frequentandi chorum; præten sionem autem huic contradicit Capitulum cathedrale. Potestne cum securitate conscientia hac in re litem movere Capitulum?

ꝛ. Si Capitulum persistat in sententia negandi ipsi distributiones, dum actualiter occupatur in exercitio muneris sui, jure potest petere sententiam contra Capitulum; aliis vero temporibus tenetur assistere choro. Dicitur: dum actualiter occupatur in exercitio muneris sui: sicut enim Pœnitentiarius, dum in confessionali non occupatur, & Scholasticus extra tempus necessarij studij aut prædicationis Verbi divini tenetur interesse choro, ita & Promotor. *Pontas.*

Vide Officialis.

## PROVISIO BENEFICII.

1. *Provisio est titulus a legitimo Superiore collatus Clerico habili ac idoneo ad possidendum Beneficium; & sine hoc titulo in nullo casu legitime obtineri potest Beneficium qualecunque demum, juxta Bonifacium VIII. reg. jur. i. in 6. Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.* Titulus iste consistit in litteris patentibus, quibus collator declarat, se hoc Beneficium hac ratione vacans conferre huic, & quæ vel diriguntur ad eum, qui providetur, vel ad illos, quorum est provisum recipere, & in possessionem immittere.

2. Provisio obtinetur per simplicem renunciationem seu cessionem prioris Beneficiati, per resignationem in favorem, ex causa permutationis, vel in titulum Commendæ.

3. Omnis provisio est nulla, ubi intervenit simonia vel confidentia; aut dum confertur personæ inhabili ad possidendum Beneficium, ut est laicus, clericus excommunicatus, bigamus, illegitimus, aut quocumque alio impedimento canonico laborans.

4. In provisionis instrumento debet exprimi, an collatio sit libera vel coacta. Libera est, quæ ex sola voluntate collatoris dependet. Coacta est, quam collator non potest recusare, ut quæ fit ad præsentationem Patroni intra debitum tempus factam.

CASUS I. Romulus filio suo Aollio sex tantum ætatis annos habenti procuravit provisionem ad Capellam simplicem, Estne valida & canonica istiusmodi provisio?

ꝛ. Nec valida est nec canonica: ut enim quis censeatur legitime provisus hujusmodi Beneficio, requiritur, ut habeat annos ætatis septem completos. Regula hæc: *Annus inceptus pro completo habetur* non habet locum quoad Beneficia simplicis tonsuræ, sed solum quoad Beneficia honoraria, pro quibus ad canonicam provisionem sufficit solummodo inchoasse annum de jure requisitum. *Qui ingressus est certum annum, dicitur ad ipsum pervenisse*, ut ait Zacharias Pasquali. *Pontas.*

CASUS II. Euphronius diaconus ætatis solum viginti trium annorum & unius mensis fuit provisus quadam parochia. Estne canonica hæc provisio? Et si post annum integrum a provisione computatum non receperit sacerdotium, estne ipso jure privatus suo Beneficio?

ꝛ. Juxta

ꝑ. Juxta constitutiones plurium Consiliorum, & specialiter Tridentini Sess. 24. cap. 12. de reform. & Sess. 22. cap. 4. de reform. requiritur ad provisionem Beneficii & ad quasdam dignitates in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis ætas viginti quinque annorum. Hoc tamen disciplinæ punctum non ubique observatur in omni suo rigore juxta Cabassutium; sicque, si Beneficium foret litigiosum, sufficeret recipere presbyteratum post annum adeptæ pacificæ possessionis. Dantur vero alia Beneficia, quæ non possunt acquiri, nisi quis habeat Ordines vi fundationis aut consuetudinis hisdem annexos. Hac occasione notari meretur, quod, quando Beneficium tantum vacat *ipso jure*, titulari adhuc competat jus illud resignandi vel permutandi; quod si vero vacet *ipso facto*, non possit amplius de eodem disponere. *Pontas.*

CASUS III. Valefius diaconus annos natus viginti quinque provifus fuit aliqua Capella. Verum cum titulus fundationis expresse contineat, ut non nisi presbytero conferatur, dubitat, an provisio sit valida, & num sufficiat, si intra annum a die adeptæ possessionis sacerdotium suscipiat.

ꝑ. Provisio Valefii est nulla, nec sufficit intra annum recipere presbyteratum. *Qualitas juncta verbo intelligitur secundum tempus verbi, quod adiicitur.* Argum. Leg. 4. §. 1. ff. Lib. 9. Tit. 4. *Pontas.*

CASUS IV. Callimachus habens Capellam, cujus annui redditus non excedunt 15. florenos, provifus fuit per obitum Prioratu 400. florenorum. At vero in sua supplicatione ad Papam nullam fecit mentionem hujus Capellæ. Præjudicantne hæc omiffio ipsius provisioni?

ꝑ. Absolute necessarium est, ut, qui Papæ supplicat pro Beneficio in forma gratiosa, in supplicatione exprimat, an etiam possideat alia Beneficia; horumque naturam, dignitatem & redditus, utut modicos, fideliter & accurate indicet. Sic Lucius III. cap. *Ad aures*. 8. Lib. 1. Tit. 3. Adeoque provisio Callimachi est nulla. *Pontas.*

NOTA. Beneficium adeo tenue non censetur habere taxam Romæ, ac proin haberi & habendum relate ad finem intentum pro nullo.

CASUS V. Rudolphus in Curia parochiam resignavit Saturnino, cui ante sex menses Joannes resignaverat Capellam; de qua tamen resignatione nec Rudolphus nec Saturninus ullam habuit notitiam. Estne valida obtenta in Curia provisio, licet in supplicatione non fuerit expressum jus, quod Saturnino competeat ad Capellam?

ꝑ. Pro-

ꝑ. Provisio hæc habetur pro valida; quia, dum ea data est, Saturninus necdum acceptavit resignationem Capellæ. *Justa & probabilis ignorantia impetranter excusat*, ut ait Cabassutius Jur. Can. Theor. & prax. L. 2. c. 21. n. 21. Idem declaravit Bonifacius VIII. Cap. *Gratia*. 7. in 6. Lib. 1. Tit. 3. Verumtamen, quia Saturninus turbari posset in possessione parochiæ, eoquod forte suam de Capellæ resignatione ignorantiam satis probare haud valeat, perbene faciet, si secundam sibi provisionem procuret, licet ea in foro conscientiæ non indigeat; sicut id juxta non nullos Authores necessarium non est in resignationibus factis causa permutationis. *Pontas.*

CASUS VI. Castrucius annos viginti & unum natus per resignationem sibi in Curia Romana factam obtinuit præbendam sacerdotalem cum hac clausula in provisione expressa: *Quod tu, quatenus dicti Canonatus & præbenda sacerdotales existant, cum primum ad ætatem legitimam quemcumque Ordinem sacrum suscipiendi perveneris, proximis inde futuris temporibus Ordinem ipsum, quem ætas postulaverit, videlicet subdiaconatus, diaconatus & presbyteratus suscipere omnino tenearis; alioquin primo dicti Canonatus & præbenda etiam vacent eo ipso.* Obtenta igitur provisione adit possessionem sui Beneficii; sed per integrum biennium neglexit suscipere subdiaconatum, eoque primum fuit initiatus anno ætatis vigesimo tertio cum dimidio. Amisitne suam præbendam vi verborum provisioni insertorum, *eo ipso vacent*; quin opus sit sententia amissionis declaratoria?

ꝑ. Non obstante clausula provisioni inserta, & licet præscripto tempore subdiaconatum non receperit, non amisit suam præbendam ipso jure, *Etiam si lex vel statutum poenam imponat ipso facto vel ipso jure*, ait Sylvester de Prierio. v. *Pœna*. 9. 25. *adhuc ad executionem necessaria est sententia.* *Pontas.*

CASUS VII. Decius a viginti annis est in possessione cujusdam præbendæ, quam in Curia Romana simoniace obtinuit. Modo autem resignat hoc Beneficium Cajo nepoti suo, qui & ejusdem possessionem nactus est. Estne provisio Caji canonica?

ꝑ. Est invalida; & si de simonia Decii notitiam habet, præbendam tuta conscientia retinere non potest. Ratio est; quia Simoniacus non potest esse legitimus Titularis Beneficii simoniace acquisiti, quantocumque illud tempore possederit; & consequenter non habet jus de eo disponendi in favorem *Dist. Cas. Consc. Tom. III.* M alte-

alterius juxta communem hanc regulam : *Nemo dat, quod non habeat. Pontas.*

CASUS VIII. Decentius ecclesiæ cathedraſis Canonicus vult resignare suam præbendam Franciseo nepoti suo sub onere reservatæ sibi pensionis, non obstante antiquo statuto capitulari per Bullam Pontificiam confirmato, quo Canonici prohibentur capere possessionem alicujus Canonici, cui pensio est imposita; nec in supplicatione statuti hujus & Bullæ ulia facta est mentio. An non tam provisio quam constitutio pensionis ob hanc omissionem censetur esse subreptitiæ?

ꝑ. Utraque est subreptitiæ & nulla: Papa enim certe nunquam provisionem concessisset, aut in reservationem pensionis consensisset, si habuisset notitiam de hoc statuto a Sede Apostolica confirmato. Capitulum nequit in gremium suum admittere Franciscum sine violatione statuti & Bullæ confirmatoriæ. Nec Decentius ullum habet jus ad hanc pensionem, utpote fundatam in titulo illegitimo. *Pontas.*

CASUS IX. Octavius supplicat apud Curiam pro obtinendo Prioratu simplici S. Blasii; sed per errorem & ex ignorantia exponit, Beneficium hoc esse curatum. Valetne ipsius provisio?

ꝑ. Falsum quidem exposuit Octavius; non tamen ea intentione, in quam cadere posset culpa fraudis vel deceptionis. Hinc provisio ipsius valida est & canonica. Ita & sentit Navarrus Concilior. L. 1. Concil. 15. n. 1. & 2. dum ait: *Taciturnitas ejus, quo expresso aequè Princeps fecisset gratiam, non nocet. Pontas.*

CASUS X. Eulalius acolythus incurrit irregularitatem ob matrimonium contractum cum vidua, ex qua etiam prolem suscepit. Defuncta uxore provivus est Prioratu simplici, nulla petita vel obtenta dispensatione. Estne legitima ipsius provisio?

ꝑ. Omnis irregularitas orta sive ex delicto sive ex defectu est impedimentum excludens ab Ordinibus & Beneficiis. *Viam ad Ordines & Beneficia præcludunt irregularitates, ait Cabassutius Lib. 5. c. 19. Et hinc provisio Eulalii nec valida est nec canonica. Pontas.*

CASUS XI. Florianus dimittere cogitat Beneficium Capellæ, idque procurare Gastoni nepoti suo; renunciat proin pure ac simpliciter in manibus collatoris, & postea eum rogat, ut illud conferat Gastoni, quem secum adduxerat. Precibus Floriani annuens collator Capellaniam confert Gastoni, qui

obten-

obtenta provisione possessionem Beneficii mox arripuit. Estne canonica hæc provisio?

ꝑ. Cum nulla intervenerit cum collatore conventio vel pactum, nec ex parte Floriani nec ex parte Gastonis, provisio est canonica. Florianus absolutum Beneficii dominium reliquit collatori, dum absque omni limitatione ipsi reddidit Capellam, & consequenter plenam ei dedit libertatem nepoti suo eam conferendi vel denegandi. *Pontas.*

CASUS XII. Januarius Clericus sæcularis annos viginti natus provivus fuit Prioratu pertinente ad quamdam abbatiam Benedictinam in titulum Commendæ: ingreditur autem Ordinem S. Benedicti, ac in eo post annum novitiatuſ professionem emittit, nihil omnino disponens de Prioratu, quem sibi retinere cogitabat, utpote aliunde jam a suo Ordine dependentem. Interim vero Laurentius in Curia impetrat provisionem pro dicto Prioratu tanquam vacante per solemnem professionem Januarii. Potestne citra conscientiæ labem uti hac provisione?

ꝑ. Laurentius est legitime provivus hoc Prioratu, vere vacante per professionem solemnem Januarii, qui illum non nisi titulo Commendæ possederat. *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, ait Bonifacius VIII. cap. Beneficium. 4. Lib. 3. Tit. 4. in 6. non est intra probationis annum alicui conferendum, nisi ad id ipſus accedat assensus, aut consuet, quod professionem expressam fecerit. Pontas.*

CASUS XIII. Pachomius Abbas regularis & Conventus neglexerunt nominare ad Prioratum regularem suo a monasterio dependentem. Duo Clerici sæculares hoc Beneficio successive provivus illud per annos triginta pacifice possederunt; & defuncto ultimo Titulari Lampridius pariter sacerdos sæcularis provisionem obtinuit ab Ordinario. Estne provisio ipsius canonica? Poteritne sic provivus retinere Beneficium, maxime si nemo ipsi desuper controversiam moveat?

ꝑ. Provisio Lampridii non est canonica, nec tuta conscientia poterit retinere Prioratum: sicut enim Regularis non potest possidere Beneficium sæculare, ita etiam vice versa Sæculari non potest conferri Beneficium regulare. Nec prodest Lampridio allegare continuatam per triginta annos a Sæcularibus possessionem hujus Prioratus: nam licet verum sit, statum & naturam Beneficii mutari posse per consuetudinem, certum tamen est, hanc consuetudinem non habere vim legitime præscriptionis, nisi post tempus quadraginta annorum completorum. *Pontas.*

**CASUS XIV.** Basilides parochus regularis aliquot ante obitum suum septimanis Davidi resignavit parochiam suam. David interim, donec reciperet provisiones suas, petiit ab Episcopo obtinuitque licentiam exercendi functiones parochiales. Ut vero sumptibus parceret, ultra decennium neglexit urgere expeditionem provisionum; semper tamen interea exercuit munia parochialia, titulumque parochi in omnibus actibus publicis ac prærogativam sibi assumpsit. Num bene?

R. Peccavit certe Davides arrogando sibi titulum ac prærogativam parochi, qui ipsi nequitiam competebat. Peccavit quoque percipiendo fructus ex Beneficio, cujus legitimus Titularis non erat ante obtentam provisionem. Potuit nihilominus obire functiones parochiales, & correspondentes fructus percipere de licentia & consensu Ordinarii ad parochiæ fervitiam illum depudantis. Cæterum evidens est, talem agendi modum valde affinem esse intrusioni; quia, cum hic presbyter peteret ab Episcopo permissionem parochiæ deserendi, usquedum Romanam reciperet provisionem, præsumendum non est, Episcopum habuisse intentionem id concedendi ad decem annos, quod tamen ausus est David, de procuranda expeditione provisionis parum sollicitus. Et in hoc casu intrusionis, si res non sit notoria, Episcopus posset eum absolvere ac rehabilitare a pœna canonica, quam facile incurrere potuisset. *Pontas.*

**CASUS XV.** Amalarius Romam misit supplices litteras ad obtinendum Prioratum regularem Ordinis Cluniacensis *pro cupiente profiteri*, nullam tamen habens intentionem profitendi hunc Ordinem. Accepit ergo sub dicta clausula suam provisionem, & Beneficii possessionem adiit. Estne valida hæc provisio, ita ut Amalarius Beneficium iuste retinere possit?

R. Certum est, Amalarium non esse legitime provisum: Papa enim expresse ipsi provisionem concessit solum sub hac conditione, ut Ordinem Cluniacensem ingrederetur, quod ipse facturum se sponderat, scilicet fiste. Cum ergo Amalarius in supplicatione sua falsum exposuerit, & quidem circa articulum essentialem, provisio subreptitia est, & consequenter nulla, teneturque dimittere Beneficium; id quod evidenter deducitur ex Cap. *Ex parte.* 2. Lib. 1. Tit. 3. *Pontas.*

**CASUS XVI.** Sertorius actu suspensus ab exercitio Ordinum, aut ligatus excommunicatione majore ob crimen occultum:

cultum: acceptavit oblatum sibi Beneficium. Estne valida & canonica ipsius provisio?

R. Nulla est ac invalida: plures enim Canones ut inhabiles ad Beneficia declarant eos, qui sunt innodati censuris, utut occultis. *Pontas.*

**CASUS XVII.** Baldericus subdiaconus, qui ob homicidium voluntarium, profusus tamen occultum, irregularitatem incurrerat, obtinuit Beneficium Capellæ. Valetne hæc provisio?

R. Non valet: provisio enim irregulari facta ipso jure nulla est; sive dein ejusmodi irregularitas ex delicto publica sit, sive occulta. *Cum etiam*, inquit Concilium Tridentinum. Sess. 14. c. 7. de reform. *qui per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari avelli debeat; qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine judiciario probatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua ecclesiastica Beneficia, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat; sed omni Ordine, ac Beneficio & officio ecclesiastico perpetuo careat.* *Pontas.*

**CASUS XVIII.** Pirminius Clericus operam suam & auxilium contulit ad occultandum corpus defuncti Beneficiati, ut lucraretur tempus obtinendi hoc Beneficium a Sede Apostolica. Num valet sic obtenta provisio?

R. Clericus iste reddidit sese inhabilem ad possidendum hoc Beneficium, provisio ipsius est nulla, ac pro intruso habendus est, licet pœnas canonicas non incurrerit. *Fromageau.*

**CASUS XIX.** Lucianus Episcopus Clerico cuidam confert Canonicatum, quem vacare existimabat per cessionem Titularis factam a fratre hujus Clerici, cujus tamen consanguinei, ut mentita hæc cesso speciem veri præferret, mortem celaverunt. Benene ac legitime est provisus hic Clericus?

R. Si ita egerunt consanguinei vel parentes Clerico inficio, bene est provisus, & legitimus possessor Canonicatus; quem etiam poterit resignare pro suo beneplacito, quin a quopiam molestari & inquietari desuper possit. *Fromageau.*

*Vide Beneficiatus. Beneficium. Collatio. Devolutio. Permutatio. Resignatio.*

1. *Proxenetæ* dicitur, qui ad ineundos ac concludendos contractus in variis negotiis, ut emptionibus, venditionibus



bus, mutuis, pactis nuptialibus, aut in taxando pretio ac æstimando valore rerum suam interponit operam ac industriam.

2. Licet præcipua proxinetæ obligatio esse debeat, ut sit fidelis, nulla tamen reperitur professio, in qua fraus, mendacium ac deceptio frequentius in usu est, ac in ista; ita ut olim proxenetæ in causis ac negotiis, quibus sese immiscuerunt, testes esse non possent, nisi de consensu omnium partium.

3. Proxinetam adhibendi nulla datur obligatio; cum quisque per semet ipsum sua gerere possit negotia. Proxinetæ neququam se vades constituunt ac fidejussores de successu ac eventu negotiationum suarum. Semper consulere debent secundum notitiam ac conscientiam suam. Si debitores solvendo non sint, nequaquam proxinetæ conveniri possunt, etiam si eos solvendo esse affirmaverint; tenentur tamen de dolo.

4. Pro negotiationibus licitis debetur proxinetis salarium; imo, ubi ejusmodi consuetudo viget, ab utraque parte illud petere possunt.

CASUS. Petrus indiget mille florenis; accedit ergo Carolus proxinetam, ejus industria summam hanc a quocumque demum mutuum recepturus. Carolus accedit Paulum hominem avarum ac notam usurarium, & obtinet ab eo pro Petro mille florenos, petito autem censu annuo immodico, & justos limites notabiliter excedente. Potuitne Carolus operam suam locare ad negotiationem hanc?

3. Peccavit graviter Carolus Paulo occasionem dando ex pecuniis suis usurarium ac injustam lucrum capiendi. Teneturque, Paulo non restituente, ipse ad restitutionem. Potest tamen Carolus retinere salarium ob collatam operam suam perceptum. *Fromageus.*

Vide *Usura.*

## PUERPERIUM.

CASUS. Licetne in puerperio periculoso extrahere infantem, prius in utero materno baptizatum, si certo constat, ipsum exinde esse moriturum? Et num sacerdos id consulere potest?

3. Si infans certo enecandus sit, non potest sic eximi absque peccato mortali; neque sacerdos id dare consilii potest, quin graviter peccet, & irregularitatem incurrat. *De Hamet.*

NOTA.

NOTA. Hæc responsio admitti potest, si mater conservari potest in vita: si enim jam obierit, aut æque probabile, perituram matrem cum partu, aliter sentiendum, prout docet Cangiamilla in suo præclaro opere: *Embriologia.*

## PUPILLARES PECUNIÆ.

1. *Pecuniarum pupillarum* nomine veniunt bona minorenum vel pupillorum, ac proventus, quos ad eorum alimentationem & sustentationem tutores ac curatores inde percipiunt. Bona hæc aut sunt mobilia aut immobilia: bona mobilia, quæ non fructificant, ac facile perire possunt tenentur tutor vendere, quamprimum fieri poterit, redactasque exinde pecunias pro utilitate pupilli elocare. Si tamen bona ista mobilia consistant v. g. in pecoribus prædii, in vasis vinariis necessariis ad vindemiam &c. servari debent, ut & gemmæ, picturæ, aliæque pretiosa. Notandum autem, si tutela brevi tantum duret tempore, tutorem non teneri ad venditionem bonorum mobilium pupilli, quæ utiliter servari non possunt.

2. Juxta opinionem communissimam pecuniæ ex mobilium venditione redactæ & proventus ex immobilibus impendi debent ad expungenda debita passiva & removenda onera, quodque reliquum est, ad comperandos fundos aut redditus annuos, non autem ad census usurarios ex mutuo. Hinc tutores ac curatores ex pecuniis pupillorum ac minorenum census exigere nequeunt absque vero ac legitimo titulo. Si nulla tutoribus occasio sese obtulit utiliter collocandi pecunias pupillorum suorum, & probare non possint, se omnem adhibuisse industriam, sollicitè occasionem quæsisse, ac insuper consilia hac super re cum consanguineis pupillorum contulisse, ipsimet ad compensationem damni condemnantur.

3. In pluribus provinciis maxime Germaniæ tutores ex pecuniis pupillorum mutuo datis census percipiunt; & hæc praxis omnium tribunalium autoritate firmatur. Et eapropter sequens proponitur

CASUS. Census ex pecuniis pupillaribus, prout in usu est in non nullis locis, aliquibus videtur usurarius, & ab aliis excusatur ab usura. Quid sentiendum?

3. Prior sententia in conscientia securior est: non enim licet pecunias pupillares fœneri dare pro censu annuo; cum usura suapte natura mala sit, legique tam naturali quam divinæ contraria, ac consequenter nulla lege humana

M 4

aut